



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Resp. 3. Tutior pars eligenda est etiam in dubio speculativo, quod vinci non potest, ita ut semper peccet, qui partem minus tutam eligit in dubio speculativo, quantumvis supponatur esse invincibile.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

facit aut omittit illud sine persuasione, quod hic & nunc licitè fiat aut omittatur. Atqui quod sit aut omittatur sine persuasione, quod hic & nunc licitè fiat aut omittatur, peccatum est: nam, ut ait Apostolus ad Rom. cap. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Ergo, &c.

Confirm. Qui facit aut omittit aliquid, de quo dubitat, utrum hic & nunc licitè fiat aut omittatur, quantum in se est, exponit se morali periculo peccandi. Sed qui exponit se morali periculo peccandi, peccat: peccat enim, qui interpretativè vult malitiam peccati; & vult interpretativè malitiam peccati, qui illam non vitat, quantum moraliter potest; nec illam vitat, quantum moraliter potest, qui, quantum in se est, exponit se morali periculo peccandi, faciendo aut omittendo aliquid. Ergo qui facit aut omittit aliquid, de quo dubitat, utrum hic & nunc licitè fiat aut omittatur, peccat, & consequenter peccat, qui in dubio practico non tutiorem partem, sed minus tutam amplectitur.

RESPONSIO II.

Tutior pars eligenda est in dubio speculativo, saltem quando vinci potest: ita ut semper peccet, qui partem minus tutam eligit in dubio speculativo vincibili.

Prob. Peccat, qui partem minus tutam eligit sine prudenti persuasione, quod illam licitè eligat. Sed qui in dubio speculativo vincibili partem minus tutam eligit, eligit illam sine prudenti persuasione quod illam licitè eligat. Ergo peccat. Major est certa: nam peccatum est, quicquid sit aut omittitur cum imprudenti tantum persuasione, quod licitè fiat aut omittatur, juxta illud Apostoli: *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* *Prob. min.* Qui non adhibet debitam diligentiam, ut sibi verè, & non falsò persuadeat partem minus tutam sibi licitam esse, non potest illam eligere cum prudenti persuasione, quod eligat illam licitè; ut patet ex terminis. Sed qui in dubio speculativo vincibili eligit partem minus tutam, illam eligit, non deposito dubio, quod potest & tenetur deponere; ut patet ex terminis. Sed qui eligit partem minus tutam, non deposito dubio, quod potest & tenetur deponere, non adhibet debitam diligentiam, ut sibi verè & non falsò persuadeat sibi licitam esse partem illam; ut per se manifestum est.

Declaratur hæc doctrina aliquot exemplis. Titius dubitat, utrum hodierna dies sit festiva, an non, & ita dubitat, ut possit dubium suum deponere, adhibita morali diligentia. Si cum hoc dubio non audiat sacrum, peccat, etiam si hodierna dies non sit festiva; quia, non adhibendo moralem diligentiam ad deponendum dubium suum, non eam, quam debet, diligentiam adhibet, ut verè & non falsò sibi persuadeat, se non teneri ad audiendum sacrum hodie; & ita aut nullam, aut nonnisi imprudentem habere potest persuasionem, sibi hodie licitam esse omissionem sacri. Item Titius dubitat, utrum aliqua lege prohibitum sit, an non, pingere in die festo, & sic dubitat, ut moralem diligentiam adhibendo, possit dubium suum deponere. Si cum hoc dubio pingat die festo, peccat, etiam dato quod hoc nulla lege prohibitum sit; quia non adhibuit moralem diligentiam ad deponendum dubium, & sic non eam, quam debuit, diligentiam adhibuit, ut sibi verè & non falsò persuaderet, se nulla lege teneri ad non pingendum die festo: unde ad summum non potest nisi imprudentem persuasionem habere, actionem pingendi sibi licitam esse hoc die festo.

RESPONSIO III.

Tutior pars eligenda est etiam in dubio speculativo, quod vinci non potest, ita ut semper peccet,

qui partem minus tutam eligit in dubio speculativo quantumvis supponatur esse invincibile.

Prob. 1. ratione. Peccat, qui partem minus tutam eligit in dubio practico, ut constat ex *Resp. 1.* Sed qui partem minus tutam eligit in dubio speculativo etiam invincibili, eligit illam in dubio practico. Ergo peccat. *Prob. min.* Dubium speculativum etiam invincibile non potest esse sine dubio practico sibi correspondente. Ergo qui eligit, &c. *Prob. ant.* Nam v. gr. qui invincibiliter dubitat, utrum aliqua lege prohibitum sit, an non, pingere die festo, non potest non dubitare, utrum actio pingendi hoc die festo sibi illicita sit, an non. Item qui dubitat invincibiliter, utrum hodierna dies sit festiva, an non, non potest non dubitare, utrum hodierna sacri ommissio sit prohibita, an non; & ita non potest non dubitare, utrum hodierna ommissio sacri sibi illicita sit, an non. Ergo dubium practicum separari non potest à dubio speculativo etiam invincibili. Ex hoc autem

Adhuc argumentor sic. Peccat eligendo partem minus tutam, qui eligit illam sine persuasione, quod illam licitè eligat. Sed operans eligendo partem minus tutam in dubio speculativo invincibili, eligit illam sine persuasione, quod illam licitè eligat: nam eligit illam in dubio practico, quocum esse non potest persuasio, quod licita sit electio partis minus tutæ: non enim potest operans simul certus esse de bonitate operationis hic & nunc exercendæ, & dubius de illa, Ergo, &c. Non ergo aliud discrimen interest inter dubium speculativum vincibile & invincibile, quam quod, quando dubium speculativum vincibile est electio partis minus tutæ, possit fieri licita, quia tunc dubium deponi potest: quando verò est invincibile, electio partis minus tutæ licita fieri non possit, quia tunc dubium deponi non potest. Igitur electio partis minus tutæ, facta in dubio speculativo, semper peccaminosa est, siue dubium sit vincibile, siue non sit.

Prob. 2. Autoritate summorum Pontificum. Nam 1. Eugenius Papa cap. Juvenis, extra de sponsalibus, juvenem, qui puellam nondum septennem desponsarat, & forsan tentat complere, quod non poterat, separari à puella illius consobrina, quam postea duxerat uxorem, mandat, non solum propter honestatem Ecclesiæ, sed etiam quia in his quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus.

2. Clemens III. cap. Ad audientiam, extra de homicidio voluntario, Presbytero, qui quandam de familia sua correctionis gratia percusserat, & in dorso aliquantulum vulneraverat, cum vulneratus aliquantò post mortuus esset, postquam tamen à vulnere convalescerat, & utrum occasione vulneris decessisset, dubium haberetur, prohibet ne in sacris ordinibus ministraret; Cum in dubiis semitam debemus eligere tutiorem.

3. Innocentius III. c. Significasti, eod. tit. sic loquitur, in casu furis, qui à pluribus, in quibus erat sacerdos quidam, percussus interierat: Si discerni non possit, ex cujus ictu percussus interiit, in hoc dubio tanquam homicida debet haberi sacerdos; etsi forte homicida non sit, à sacerdotali officio abstinere debet: cum in hoc casu cessare sit tutius, quam celebrare.

4. Honorius III. cap. Peritio, eod. tit. Presbytero cuidam, qui pugna cum Saracenis inita interfuerat, in qua pugna ipse aliquos percusserat, & multi ex utraque parte interfecti fuerant, ipsum consulenti sic responder: Cum pro eo quod aliquos percussisti, irregularitatem metuas incurrisse; mandamus, quatenus si de interfectione cuiusquam in illo conflictu tua conscientia te remordet, à ministerio altaris abstineas reverenter, cum sit consultius, seu, ut ait glossa, tutius, in huiusmodi dubio abstinere, quam temerè celebrare.

5. Innocentius III. cap. Illud, extra de Clerico excommunicato, de Episcopo, qui in excommunicatione celebrat, quanquam ei nonnisi per famam de sententia contra eum prolata constiterat, sic responder: Licet in hoc non videatur omnino culpabilis existisse; quia tamen in dubiis via est tutior eligenda, etsi

est de lata in eum sententia dubitaret; debuerat tamen potius se abstinere, quam sacramenta ecclesiastica pertrahere. Ergo ex summis Pontificibus, tutior pars semper eligenda est in dubiis etiam speculativis, sive vincibilia sint, sive etiam invincibilia.

Dices 1. Summi Pontifices in laudatis capitulis sententiam hanc: *In dubiis melior pars est eligenda*, proferunt tantum ut regulam merè consiliativam. R. Hoc esse evidenter falsum, ut patet præsertim ex cap. Juvenis, ubi Eugenius dicit: *In iis, quæ dubia sunt, quod certius est, tenere debemus.* Et ex c. Ad audientiam, ubi Clemens III. ait: *Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem.* Præterea, si hæc regula: *In dubiis tutior pars est eligenda*, à summis Pontificibus adhiberetur tantum ut regula consiliativa, quare propter illam tam graves pœnas infligerent, juvenem à secunda uxore, consobrina alterius, quæcum contrahere tentarat prius, separando, quia certum non erat, quod cum priore contraxisset invalidè? item Presbyteros ab officio sacerdotali removendo, quia certum non erat eos in irregularitatem non incidisse?

Dices 2. Saltem sententia illa: *In dubiis tutior pars est eligenda*, non continet regulam præceptivam, nisi pro casibus particularibus, expressis in capitulis juris, in quibus traditur. Resp. Hoc etiam esse falsum manifestè: nam ut vel sola capitulorum laudatorum probat autopsia, summi Pontifices sententiam illam: *In dubiis tutior pars est eligenda*, adhibent, non ut pro aliquibus casibus particularibus novam aliquam legem statuant, sed solum ut vel ostendant in quo quis deliquerit, vel suæ decisionis rationem reddant, pro quo asserunt morale principium, quod ex natura rei obligat pro quocumque casu, & quod merito supponunt ut lumine naturali notum, & ab omnibus pro certò & indubitato habendum.

Dices 3. Juxta mentem summorum Pontificum, hæc regula: *In dubiis tutior pars est eligenda*, intelligenda est de dubio præctico, non de speculativo. R. Hoc esse manifestè contra mentem summorum Pontificum; quia in capitulis laudatis manifestè loquuntur de dubio aliquo speculativo: speculativum enim dubium est, utrum quis cum puella nondum septenni validè contraxerit, an non: utrum vulnus inflictum à Presbytero, occasio fuerit mortis percussus, an non: utrum Presbyter aliquem ex hostibus interfectis occiderit, an non: utrum contra Episcopum excommunicationis sententia prolata fuerit, an non.

Dices 4. Cum summi Pontifices dicunt, in dubiis partem tutiorem eligendam esse, loquuntur de dubio facti, non de dubio juris. Resp. Si loquuntur de dubio facti, & ita docent in dubio facti partem tutiorem eligendam esse, id à fortiori intelligi etiam debet de dubio juris: nam tutior pars non est eligenda in dubio facti, nisi quia dubium facti conjunctum est cum dubio juris, in quo aut nulla omnino, aut ad summum non nisi imprudens haberi potest persuasio, quod electio partis minus tutæ sit licita. Sic v. gr. in secundo casu, quia dubium erat utrum vulnus à Presbytero inflictum, fuisset occasio mortis percussus, an non; dubium erat utrum Presbyter ille irregularitatem incurrisset, an non: quia dubium erat utrum Presbyter ille irregularitatem incurrisset, an non, dubium erat utrum ei divinorum officiorum celebratio prohibita esset lege ecclesiastica, an non: quia denique, quod est dubium juris, dubium erat utrum ei prohibita esset lege ecclesiastica, an non, divinorum officiorum celebratio, summus Pontifex Clemens III. illi hac celebratione interdixit, quia in dubiis tutior pars est eligenda, ne scilicet lex aliqua, sive divina, sive humana, temerè violetur.

Dices 5. Summi Pontifices loquuntur de dubio speculativo vincibili, non de invincibili. Resp. summos Pontifices tam loqui de dubio speculativo invincibili, quam de vincibili, seu loqui de omni omnino dubio speculativo, abstrahendo ab hoc quod sit vincibile vel invincibile, ut probatur ex cap. Ad audientiam,

Simonnet Theol. Tom. I.

quod clauditur his verbis: *Si verò ille (percussus) ex alia infirmitate obierit, poterit, Presbyter, sicut erat solitus, divina officia ministrare.* Hoc est: Si probari potuerit, percussus obisse, non ex vulnere quod inflixerat Presbyter, sed ex alia infirmitate, sublato hac ratione dubio, poterit Sacerdos, sicut antea solitus erat, divina officia ministrare. Quod si (quod manifestè suppleri debet) probari non potuerit percussus ex alia infirmitate mortem obisse, nec vulnus à Presbytero inflictum morti occasionem dedisse, manente dubio, Presbyter in sacris ordinibus ministrare non poterit, & ei, ne ministret, volumus injungi; quia in dubiis quibuscumque, etiam si, morali adhibita diligentia, vinci non possint, semitam tutiorem eligere debemus.

Optima autem & rectissima est hæc decisio: nam quandiu dubium est, utrum vulnus inflictum à Presbytero, mortis percussus occasio fuerit, an non, sive hoc dubium vinci possit, adhibita morali diligentia, sive non possit, tandiu dubium est, utrum Presbyter irregularitatem incurrit, an non. Quandiu autem dubium est, utrum Presbyter incurrit irregularitatem, an non, sive hoc dubium sit vincibile, sive sit invincibile, tandiu dubium est, utrum jure ecclesiastico sit inhabilis ad ministrandum in sacris ordinibus, an non. Denique quandiu dubium est, utrum Presbyter jure ecclesiastico inhabilis sit ad ministrandum in sacris ordinibus, an non, sive hoc dubium tolli possit, sive non possit, tandiu morale periculum est, ne constitutio ecclesiastica violetur à Presbytero ministrante in sacris ordinibus. Hinc in casu proposito tenetur Presbyter non ministrare in sacris ordinibus, & Pontifex ei prohibere, ne ministret; quia tenetur inferior quisque, quantum in se est, vitare morale periculum violandi legem, & superior, quantum in se est, procurare ne inferior tale periculum incurrat; seu, quod idem est, quia tenetur inferior quisque, quantum in se est moraliter, nunquam violare legem, & superior, quantum in se est moraliter, procurare, ne inferior legem unquam violat; quapropter & inferior in agendo, & superior in præcipiendo vel prohibendo, debent semper tutiorem partem eligere in dubiis quibuscumque, etiam si vinci non possint, adhibita morali diligentia.

Dices denique 6. Summi Pontifices intelligendi sunt de dubio negativo, non de positivo. Resp. Hoc esse falsum. Nam in secundo casu agitur de dubio positivo: in hoc enim casu erant rationes dubitandi ex utraque parte; ex una quidem, quod percussus non diu post acceptum vulnus vixerat; ex altera verò, quod percussus, antequam obiret, ex vulnere convalescerat. Item agitur de dubio positivo in casu ultimo: erant enim etiam rationes dubitandi ex utraque parte; ex una quidem, quod excommunicatus Episcopus ab alio Episcopo, à quo ex mandato summi Pontificis excommunicatus fuerat, neque ante excommunicationem monitorias, neque post excommunicationem litteras aliquas acceperat; ex altera verò, quod fama percubuerat, contra illum excommunicationis sententiam prolatam fuisse.

Præterea, non est potior ratio pro dubio negativo, quam pro positivo. Nam 1. sicut in dubio negativo, ita & in positivo eligens partem minus tutam, quantum in se est, exponit se morali periculo transgrediendi legem. 2. In dubio positivo intellectus tam necessariò hæret suspensus, quam in negativo: unde qui eligit partem minus tutam in dubio speculativo facti, vel juris, sive sit dubium negativum, sive etiam positivum, eligit cum dubio præctico, quod electio illa sibi sit licita, proindeque peccat, qui partem minus tutam eligit in dubio speculativo facti vel juris, quantumvis dubium illud sit positivum.

At inquit. Cum dubium positivum est, potest intellectus determinare ex imperio voluntatis alterutram partem, proindeque minus tutam judicare veram esse; & ita cum dubium positivum est, potest haberi persuasio, quod electio partis minus tutæ licita sit.

Bb 2

R. 1.

R. t. neg. Nam cum in dubio positivo intellectus hinc inde aequaliter aut ferè aequaliter trabatur, nec una pars magis appareat vera aut falsa, quam altera, non potest intellectus, etiam ex imperio voluntatis, uni parti ut vera adherere, potius quam alteri. *Resp. 2.* Est, quod in dubio positivo intellectus possit ex imperio voluntatis uni potius parti tanquam verè adherere, quam alteri; at saltem non potest sine oppositi gravi formidine, quæ non potest nisi imprudenter contemni. Talis autem adhesio excusare non potest eum, qui partem minus tutam eligit, relicta tutiore; & qui cum tali adhesionem partem minus tutam eligit, relicta tutiore, lubens ac volens incurrit morale periculum transgrediendi legem aliquam. Denique cum in dubio positivo neutra pars appareat magis ad verum accedere, quam altera, neutra magis appareat vera, quam falsa; non est, cur operans sibi persuadeat partem minus tutam, tutiore, velut falsam, rejectam, veram esse; & consequenter ad summum habere tantum potest imprudentem persuasionem, quod pars minus tuta sit vera, proindeque non potest illam eligere, relicta tutiore, nisi cum imprudenti persuasionem, quod hæc electio sibi licita sit.



DISPUTATIO VII.

De Conscientia probabili.

ARTICULUS I.

Utrum intellectus possit assentiri opinioni verisimili, quando opposita opinio apparet ei verisimilior.

RESPONSIO.

Intellectus non potest saltem prudenter assentiri opinioni verisimili, quando, omnibus maturè ponderatis, opinio opposita apparet ei verisimilior.

Prob. Nam si intellectus iudicaret veram esse opinionem minus verisimilem, & falsam esse opinionem oppositam verisimiliorem, minorem verisimilitudinem majori præferret in iudicando. Atqui intellectus hoc non potest saltem prudenter. Ergo, &c. Major patet. *Prob. min.* Ut intellectus prudenter se gerat in iudicando, debet in iudicando, quantum in se est, vitare malum suum. Atqui hoc non faceret, minorem verisimilitudinem majori præferens in iudicando. Ergo, &c. Major patet. *Prob. min.* Nam malum intellectus est error. Atqui intellectus in iudicando præferens minorem verisimilitudinem majori, non vitaret, quantum in se est, errorem in iudicando; tunc enim tantum intellectus censetur in estimatione prudenti vitare, quantum in se est, errorem in iudicando, quando in evidentibus amplectitur id quod verum est, & in obiculis id quod, omnibus maturè ponderatis, apparet ei verisimilior. Ergo, &c.

Obj. Opinio minus verisimilis, quamvis minus verisimilis, sapè nititur gravi fundamento. Ergo saltem sæpè potest intellectus prudenter assentiri opinioni minus verisimili, quantumvis opposita opinio, omnibus debite pensatis, appareat ei nixa graviori fundamento. *R. neg. conseq.* Nam ad prudens iudicium non sufficit fundamentum etiam grave, quando pro parte opposita, post diligentem veritatis inquisitionem, apparet fundamentum gravius, sive hoc fundamentum sit gravius absolute, sive sit gravius relate tantum ad cognoscentem: tunc enim ut intellectus censetur, quantum in se est, malum suum vitare, & consequenter in iudicando procedere sapienter, debet aut suspendere iudicium suum, neutram contradictionis partem veram iudicando, vel certe veram iudicare partem illam, pro qua gravius fundamentum apparet.

Dices. Fundamentum quodlibet assentiendi, hoc ipso quod grave est, dignum est assensu: alioqui simul esset grave, & non esset. Ergo intellectus as-

sentiens illi, prudenter se gerit in iudicando. *Resp. dist. ant.* Fundamentum quodlibet, &c. dignum est assensu, quandiu non apparet gravius, aut æquè grave, pro parte opposita, *Conc. ant.* Dignum est assensu, etiam cum apparet gravius pro parte opposita, *Neg. ant.* Tunc enim gravitas & dignitas ejus vincitur per gravitatem & dignitatem alterius. Porro fundamentum grave non sic dicitur, quia meretur assensum pro omni omnino casu; sed quia pro eo omni casu meretur, pro quo vis ejus non superatur, aut saltem non eliditur per aliud fundamentum in oppositum.

Dices. Fundamentum grave, hoc ipso quod grave est, facit magnam spem assequendæ veritatis. Ergo hoc ipso quod grave est, meretur assensum. *R. dist. conseq.* Ergo hoc ipso quod grave est, meretur assensum, si non concurrat cum alio graviore, & consequenter faciente majorem spem veritatis assequendæ, *Conced. conseq.* Si concurrat, *N. conf.* Tunc enim solum motivum, quod facit majorem spem assequendæ veritatis, meretur assensum: meretur enim, ut propter illud alteri assentiatur, & velut falsum repudiemus; non vicissim. Præterea, intellectus in hoc concursu assentiens motivo facienti minorem spem veritatis assequendæ, & dissentiens facienti majorem, non censetur in estimatione prudenti facere quod in se est, ad vitandum malum suum, & procurandum suum bonum, proindeque in assentiendo & dissentiendo non procederetur prudenter. Motivum autem, cui non potes nisi imprudenter assentiri, non meretur assensum; & contra meretur, cui non nisi imprudenter dissentire potes.

ARTICULUS II.

Utrum intellectus possit assentiri opinioni verisimili, quando opinio opposita apparet æquè verisimilis.

RESPONSIO.

Intellectus non potest saltem prudenter assentiri opinioni verisimili, quando opposita opinio, omnibus maturè pensatis, apparet æquè verisimilis.

Prob. Non potest intellectus saltem prudenter iudicare veram esse unam partem contradictionis, & alteram esse falsam, nisi habeat sufficiens fundamentum ad attribuendam veritatem uni parti, & falsitatem alteri. Atqui intellectus in præsentii hypothese non habet tale fundamentum, cum apparentia veri, sicut & falsi, sit æqualis in utraque parte contradictionis. Ergo, &c.

Prob. iterum. Non potest intellectus saltem prudenter iudicare aliquam propositionem veram esse & non falsam, quæ non magis appareat vera quam falsa, & tam apparet falsa quam vera; sed tunc, ut prudenter se gerat, debet suspendere assensum, sicut & dissensum circa propositionem illam; non enim habet fundamentum potius assentiendi, quam dissentendi, aut potius dissentendi, quam assentiendi. Atqui in præsentii hypothese neutra pars contradictionis magis apparet vera, quam falsa, & utraque tam apparet falsa, quam vera. Ergo in præsentii hypothese intellectus neutram contradictionis partem potest saltem prudenter iudicare veram esse, & non falsam: sed ut prudenter se gerat, debet suspendere assensum, sicut & dissensum circa utramque.

Obj. 1. Quando duæ opiniones oppositæ, omnibus maturè consideratis, proponuntur intellectui ut æquè verisimiles, ita ut utraque magnam præ se ferat verisimilitudinem, & sic utraque magnam faciat spem assequendæ veritatis, adest pro utraque motivum sufficiens ad prudentem assensum. Ergo, &c. *N. ant. Prob.* Adest pro utraque motivum grave. Sed motivum grave sufficit ad prudentem assensum, præsertim si non concurrat cum alio graviore ad oppositum. Ergo, &c. *R.* motivum grave non sufficit ad prudentem assensum, etiam si concurrat tantum cum alio